



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De Epilogo. Cap. LVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

audiat in hoc vnusquisq; quid sibi loquatur Spiritus sanctus. Obseruauimus magnos viros, vno filo verborum, & con-  
 nexione sententiarum, pulcherrimas & admodum longas  
 conciones ad populum habuisse. si accidat, quod fortasse,  
 ita disponente Domino, accidere poterit, vt è clericis ad  
 quos scribimus, aliqui creentur episcopi, eos hortarer, nè  
 famam concionatoris aucupari videretur, & paternam  
 illam dicendi formam, quam expresserunt sancti patres,  
 retinerent; ita orationem texerent suam, vt continuato  
 sermone, quidquid eo die esset propositum, grauitè proprio  
 fungentes officio, omisis multis concitationibus, ad po-  
 pulum dicerent, ad erudiendas animas sua fidei commis-  
 sas, bonos concionatores deligerent, ipsi etiam docerent,  
 sed in primis in tradendis salutaribus preceptis ad vitam  
 æternam pertinentibus, in corrigendis peruersis moribus,  
 in excitandis animis ad pietatem, & ad remittendas iniu-  
 rias, atq; ad frequentem vsum sacramentorum, paterna  
 quadam charitate, & dilucida breuitate, versarentur.

## De Epilogo. Cap. LVIII.

**EPILOGVS** siue peroratio est terminus oratio-  
 nis, cuius quedam afferri possunt precepta, vt cum  
 aliqua commotione terminetur oratio. Quamobrèm aut  
 summa totius sermonis, aut precipua capita repetenda  
 sunt, vt in auditorum animis imprimantur, aliquid de æ-  
 terna vita, de beatitudine, de æternis supplicijs dicendum.  
 Interdum adhibenda est deprecatio nomine populi; inter-  
 dum cum lachrymis conuertendus est sermo ad Deum,  
 quod tamen non sæpè, nec longa oratione faciendum est.  
 nihil enim citius arefcit lachryma, & multi dum com-  
 mouere studuerunt, nihil aliud affecuti sunt, nisi quodd  
 risum

Q

risum

risum mouerunt. In peroratione, paucis mutatis, accommodari possent his temporibus illa verba Nazianzeni, vt diuinam misericordiam interdum implorantes, dicamus: Peccauius, iniquitatē fecimus, impiē egimus, quoniam mandatorum tuorum memoriam abiiecimus, & res peruersas cogitauimus; quoniam, vt Christi filij tui uocationi & euangelio conueniebat, vt sanctis illis cruciatibus, & animi deiectioni, qua, nostra causa, seipsum exinanuit, non respondimus; quoniam probro fuimus dilecto tuo; sacerdotes & populus te deseruimus, simul inutiles facti sumus, non est, qui iudicium et iustitiam faciat, nō est usque ad vnum; miserationes tuas, clementiam tuam, & viscera misericordiae Dei nostri, vitijs nostris, & consiliorum nostrorū nequitia, & peruersitate praclusimus tu bonus, & nos iniquē egimus; tu terribilis es, & quis resistet tibi? terrore tuo montes contremiscent, & magnitudini brachij tui quis resistet? si calum claueris, quis aperiet? Et paulo post in eadem oratione addit idem summus author quaedam verba, epilogis valdē accommodata: Verum quiesce Domine, remitte Domine, propitiū esto Domine, nē nos propter iniquitates nostras perdas, nec supplicijs nostris alios erudias, cum liceat nobis aliorum populorū caluitatibus emendari, nimirum gentium, quae te non nouerunt, & regnorum, quae imperio tuo parere recusauerunt: at nos populus tuus Domine, & virga hereditatis tuae, castiga nos in mansuetudine, & non in ira tua, nē paucissimos nos facias, & contemptissimos omnium, qui habitant terram. Quo epilogo, hoc praesertim tempore, quo crudelissimo bello populus Christianus affligitur, vti saepē poterit Ecclesiasticus orator.

Pauca